

A nostra cogitatio quod facere possumus tales imagines concipit. Consequuntur ista miris illis modis, & committendis cogitationi tuæ, cum in anima sine ulla corporali figura falsitatum numeri agitantur occulti. Ex quo intelligas uelim, cū tam multos animi motus esse sentias expertes omnium de quibus nunc quæris imaginum, quolibet alio motu animam sortiri corpus, quàm sensibilibus cogitatione formarū, quas eam, priusquā corpore sensibusque utatur, nullo modo arbitror pati posse. Quamobrē pro nostra familiaritate, & pro ipsius diuini iuris fide sedulo monuerim charissime mihi ac iocūdissime, nullam cum istis infernis umbris copules amicitiam, ne ue illam quæ copulata est cogaris diuellere. Nullo enim modo resistitur corporis sensibus, quæ nobis sacratissima disciplina est, si per eas inflictiis plagis uulneribusque blandimur.

Augustinus Possidio de cultu & fucis & inauribus, etiā uirorū. Epist. LXXIII.

DOMINO dilectissimo & uenerabili fratri & confacerdoti Possidio & qui tecū sunt fratribus, Augustinus & qui mecum sunt fratres in domino salutē. Magis quid agas cum eis qui obtemperare nolunt cogitandum est, quàm quemadmodum eis ostendas non licere quod faciunt. Sed nūc epistola sanctitatis tuæ, & occupatissimum me reperit, & celerrimus baiuli reditus, neque non rescribere tibi, neque ad ea quæ consuluisti, ita ut oportet respondere permisit. Nolo tamen de ornamentis auri uel uestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque coniugati neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant deo, Illi autem cogitant quæ sunt mūdi, quomodo placeant uel uiri uxoribus, uel mulieres maritis, nisi quod capillos nudare scēminas (quas etiam caput uelare apostolus iubet) nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo uel rubicundior uel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt scēminæ ornari, secundum ueniam non secundum imperium. Nam uerus ornatus maxime Christianorum & Christianarum, nō tantū nullus fucus mendax, uerum ne auri quidem uestisque pompa, sed mores boni sunt. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam in aures uirorum, in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in scripturis inuenire, cum generaliter apostolus dicat: Nolo uos socios fieri dæmoniorum? Et iterum: Quæ enim consonantia Christi ad belial? Nisi forte quia belial nominauit, & generalem societatem dæmoniorū prohibuit, licet Christianos sacrificare Neptuno, quia nihil proprie de Neptuno uetitum legimus. Moneātur interim miseri, ut si obtemperare nolunt præceptis salubrioribus, saltem sacrilegia sua nō defendant, ne maiori se scelere implicent. Quid autem cum eis agendum sit, si soluere in aures timent, & corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent? De ordinando autem qui in parte Donati baptizatus est, autor tibi esse nō possum, Aliud est enim facere si cogaris, aliud consulere ut facias.

1. Cor. 7.

Do consc. dif. 5. fucare.

2. Cor. 6.

In aures signum diaboli.

Augustinus Deuterio episcopo significat se Victorinum hypodiaconum, qui clam docuerat hæresim Manichæorum, deprehensum è clericorum ordine submouisse, admonens ne illic recipiatur ad pœnitentiam, nisi prodat quotquot nouit eodem infestis errore. Docet autē q̄ apud Manichæos fuerint auditores, q̄ electi. Ep. LXXIII.

DOMINO beatissimo & uenerabiliter charissimo fratri & coepiscopo Deuterio, Augustinus in domino salutē. Nihil melius me facere posse arbitratus sum, quàm ut tuæ sanctitati potissimum scriberem, ne per negligentiam in nostra prouincia domini nostri Iesu Christi ouile uastet inimicus, qui nō desinit insidiari, ut perdat animas tam magno precio cōparatas. Mallianēsem quēdā subdiaconū Victorinū, apud nos cōstitit esse Manicheū, & in tam sacrilego errore sub nomine derici latitabat. Nam est etiam ætate iam senex. Ita est autem manifestatus, ut etiam ipse à me interrogatus, antequam à testibus coargueretur, negare non posset. Tot enim & tales esse sciebat, quibus